

Franckesche Stiftungen zu Halle

Christiani Mündenii S. Theol. D. Et In Acad. Ivlia Prof. Ord. Selectae Theses Theologicae Vniversam Doctrinam Christianam Exhibentes

Muenden, Christian

Helmaestadii, 1730

VD18 13487477

Liber Quartus De Homine Peccatore Cum Deo Reconciliando Et Ad Imaginem
Dei Renovando.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-201546](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-201546)

LIBER QVARTVS

DE

HOMINE PECCATORE CVM
DEO RECONCILIANDO ET AD
IMAGINEM DEI RENO-
VANDO.

CAPVT PRIMVM

DE

GRATIA DEI ET FOEDERE
GRATIAE.

§. I.

VT homo e statu peccati, salua diuina iustitia, in statum gratiae transferretur, Deus sola benignitate sua inductus, pro diuina sua sapientia, medium inuenit, et mediatorum constituit filium suum vnigenitum, ea lege ac conditione, vt, quisquis in eum crediderit, saluaretur, incredulis sub aeterna morte relictis. *Causae ergo salutis hominum sunt* (1) *gratia* Dei, cum sapientia et iustitia diuina coniungenda, (2) *Christus* mediator, et (3) *fides* in Christum, ad finem vsque vitae retinenda.

§. II.

Principium et fundamentum salutis nostrae

trae est *gratia Dei*, quae, respectu salutis generis humani, est *propensissimus Dei fauor et affectus erga homines, in peccatum delapsos, quo salutem eorum serio, et, quantum in ipso est, quaerit, ac procurare cupit*, cuius fauoris, amoris, et misericordiae magnitudinem nulla mens capere potest: sacrae autem literae saepius extollunt. (*Iob. III. 16. Eph. II. 4. 7.*)

§. III.

Et hanc gratiam *uniuersalem* esse, ita, ut Deus omnium et singulorum hominum, qui omnes aeternae mortis per peccatum rei facti erant, nemine excepto, misertus sit, velitque serio, pro paterno suo in illos affectu, ut omnes et singuli aeternae participes fiant beatitudinis; non solum ex bonitate et iustitia diuina probari potest, verum etiam scriptura sacra euentissimis confirmat testimoniis, quae omni exceptione sunt maiora. (*2. Petr. III. 9. Ezech. XVIII. 23. XXXIII. 11. 1. Tim. II. 4. Iob. III. 16.*)

§. IV.

Actus huius gratiae, non conditionatae, sed ordinatae, sunt *quatuor*: (1) omnium hominum *salutem* non solum *voluit* Deus, sed omnia etiam vult conferre, quae ad eam obtinendam sunt necessaria: (2) de *medio* sollicitus fuit, quo iustitiae diuinae satisfac-

E

ret;

ret: (3) *filium* suum vnigenitum *redemptorem constituit*, misitque, vt pro hominibus legem impleret, et crimina illorum sanguine suo expiaret: (4) ea denique conferre voluit, confertque omnia, quae *fidem* in homine producere, fouere, et conseruare possunt. Ex quibus omnibus etiam *vocatio* hominum ad salutem *vniversalis* rite explicari, et probari potest.

§. V.

Ex schemate foederum si hanc doctrinam illustrare velimus, primo loco *discrimen*, inter *foedus operum*, et *foedus gratiae*, notandum est. *Foedus enim gratiae* est, quod *Deus*, vt *pater misericors*, homini misero *constituit*, ea quidem ratione, vt in *oblatum mediatorem crederet*, et per *fidem in ipsum saluaretur*.

§. VI.

Porro *fundamentum foederis gratiae* obseruari meretur, quod est *pactum*, siue foedus, inter *Deum patrem & filium*, de *redimendo genere humano*. Etenim *pater* filio suo, *mediatori et redemptori hominum*, legem diuinam loco hominum peccatorum perfectissime impleturo, et morte sua genus humanum expiatururo, haereditatem mundi, siue regnum, per vniversum orbem erigendum, (*Luc. XXII. 29.*) promisit. Patris vero *praecipuum filius*, non solum lubens volensque *ac-*
cepta-

ceptavit, (*psalm. XL. 7. 8. 9.*) sed etiam, homo factus, accuratissime implevit. (*Iob. IV. 34. XV. 10. XIX. 30.*) Hinc quoniam *mors* mediatoris necessaria fuit, hoc ipsum foedus gratiae etiam *testamenti* indolem refert, quod in negotiis humanis a foedere utique distinctum est, et *actus* gratiae, modo *foederis*, modo *testamenti*, rationem praeseferunt.

§. VII.

Singularem autem foederis huius *rationem*, qua a receptis foederum humanorum legibus recedit, ut magis perspectam habeamus, consideremus (1) *partes contrahentes*, quae sunt *Deus* trinunus, benignissimum, iustissimum, sapientissimum numen; et *homines*, in se quidem peccatores, a Christo autem omnes redempti, et propter satisfactionem Christi in hoc foedus recipiendi, modo beneficia, a Deo oblata, et per Christum parta, ipsiunct acceptare, nec proterve repudiare velint: (2) *promissa* huius foederis, quae *gratiae* et *gloriae* nomine veniunt, siue, quae salutem hominum peccatorum, in hac vita inchoandam, et in altera consummandam, complectuntur: (3) *conditionem*, non proprie sic dictam, quam foedus *gratiae* prorsus respuit, sed pro *ordine* salutis, quem Deus sapienter constituit, acceptam, nempe veram viamque *fidem* in Christum, (*Iob. I. 12.*)

E 2

quae

quae tamen inter beneficia diuina etiam referri potest: et tandem (4) *comminationes* de aeterna *damnatione* non credentium, (*Marc. XVI. 16.*) quae quidem ex hoc foedere gratiae non fluunt, sed ex lege, cuius obligatio neutiquam sublata est; gratiam tamen oblatam repudiantibus maiores grauiioresque poenas decernunt. (*Matth. X. 15.*)

§. VIII.

Diuinam ergo gratiam, eiusque amplitudinem pie admiremur, et grata mente ordini, a Deo praescripto, nunquam non morem geramus, vt in foedus gratiae recepti, per hanc gratiam, aeternae salutis atque gloriae participes reddamur.

TABVLA SYNOPTICA.

- I. De GRATIA DEI agitur §. I-IV. vbi
1. causae salutis hominum generatim commemorantur §. I.
 2. definitio gratiae ponitur §. II.
 3. vniuersalitas eius probatur §. III.
 4. actus quatuor distinguuntur §. IV.
- II. De FOEDERE GRATIAE §. V-VIII. cuius
1. definitio habetur §. V.
 2. fundamentum ponitur, foedus inter Deum patrem et filium, et quare foedus gratiae etiam testamentum dicatur §. VI.
 3. singularis ratio traditur, qua partes contrahentes, promissa, conditionem, et comminationem §. VII.
 4. monita practica §. VIII.

LIBRI QVARTI
CAPVT SECVNDVM
DE
CHRISTO
MEDIATORE INTER DEVM ET
HOMINES.

§. I.

VNiuerſa doctrina de CHRISTO, ſponſore foederis gratiae, et mediatore inter Deum et homines, ad duo commode referri poteſt momenta. Namque primum ipſe *mediator* nobis ſuſpiciendus eſt, vt cognoſcamus, qualis, quantusue ſit; tum vero *officium*, quod ſuſcepit, *mediatorium* diſtincte conſiderandum eſt, vt, qua ratione in vtroque ſtatu ſuo, et exinanitionis, et exaltationis, partes mediatoris inter Deum et homines ſubierit, et perfectiſſime impleuerit, recte percipiamus. Primum itaque ea, quae ad *perſonam mediatoris*; deinde vero ea, quae ad *officium mediatorium* pertinent, ſtrictim nobis ſunt perfequenda.

§. II.

Perſonam Chriſti mediatoris tum demum recte cognoſcimus, quando ex euidentiffimis ſcripturae ſacrae testimoniis conuicti ſumus, (1) *Chriſtum eſſe verum Deum, et verum*

hominem ; (2) duas *naturas*, diuinam et humanam, in Christo *personaliter esse unitas*; siue *mediatorem, Deum et hominem*, non esse duas personas, sed *unum Christum* ; et (3) ex vnione personali fluere *communicationem naturarum*, et *idiomatum*.

§. III.

Neminem, nisi Θεάνθρωπον, mediatoris inter Deum et homines munere defungi potuisse, et ipsius officii mediatorii, quo Deus infinitus, cum hominibus, aeternam mortem promeritis, reconciliandus fuit, ratio docet, et praedictiones prophetarum confirmant, in quibus Messiam, non tantum hominem, sed et Deum fore indicatur.

§. IV.

Iesum vero Nazarenum, (*Matth. I. 21. II. 23.*) in quem ceu redemptorem nostrum credimus, *verum Deum esse*, optime demonstrari potest, (1) ex *praeeexistentia* ipsius ante natiuitatem humanam, (*Ioh. I. 1. 14. 15. 30. VIII. 58.*) immo ante iacta fundamenta huius saeculi; (*Col. I. 15. coll. prou. VIII. 22-31.*) et (2) ex denominatione *filius Dei*, proprie accipienda, et quidem *unigeniti*, (*Ioh. I. 18.*) atque *proprii*, (*Rom. VIII. 32.*) qui eiusdem cum patre est *essentiae*, eiusdem *potentiae*, ac *maiestatis*. (*Conf. L. II. c. I. §. XXVIII.*)

Hinc

Hinc etiam (3) vere *se ipsum Deum dicere* potuit, diuinamque sibi vindicare potestatem, (*Iob. V. 18. Matth. IX. 6.*) et, nisi verus Deus esset, merito a synedrio Hierosolymitano, tanquam blasphemus in Deum, damnatus fuisset, quod sine blasphemia affirmari non potest. Denique (4) diuinitas ipsius ab apostolis, et credita, et luculentissimis verbis nobis est reuelata, (*Iob. VI. 69. I. Iob. I. 1-3. V. 20.*) qui, ne rationis corruptae, id est, hominum huius saeculi, contradictione offenderemur, doctrinam hanc mundo *stultitiam* videri, ingenue professi sunt. (*I. Cor. I. 23.*) Christus itaque verus Deus est, et quidem, qua Deus, non inferior patri, sed patri *ὁμοῦσιος*, aequalis, et *ἀντιθεος*.

§. V.

Eundem quoque *verum esse hominem*, probari potest, (1) ex *denominationibus*, ab *humana natura* desumptis, quae in propria sua significatione sunt retinendae: (2) ex *partibus hominis essentialibus*, anima et corpore: (*Matth. XXVI. 38. Luc. XXIV. 39.*) (3) ex *actionibus*, et (4) ex *affectionibus* humanis, quae a scriptoribus euangelicis recensentur. Quamuis enim humana Christi natura modo plane supernaturali producta sit; distincta tamen non est ab ea, quae in omnibus Adami posteris, peccato corruptis, depre-

henditur. Hinc etiam infirmitatibus, quae omnibus hominibus communes sunt, humanam Christi naturam obnoxiam fuisse, scriptura sacra testatur.

§. VI.

Propria tamen Christo homini, quibus ab omnibus reliquis hominibus distinctus est, sunt: (1) quod, Deus aeternus et inuisibilis cum esset, ex Maria virgine per ἐπίλευσιν spiritus sancti, et obumbrationem virtutis altissimi, (Luc. I. 35.) homo factus, et in carne manifestatus est: in lumbis ergo Adami fuisse, dici potest, sed non ea, qua omnes reliqui homines, ratione; siquidem non tam vi εὐλογίας diuinæ: crescite et multiplicamini, quam vi diuinæ promissionis, de semine mulieris caput serpentis contrituro, natus est: (2) quod omnis peccati, et originalis, in quo omnes Adami posterii concipiuntur, et actualis, expers fuerit: (Luc. I. 35. 2. Cor. V. 21. Hebr. IV. 15. VII. 26.) (3) quod humana ipsius natura, propria subsistentia destituta, intra subsistentiam filii Dei sit suscepta, et subsistentia τῆ λόγῃ subsistat: tandemque (4) quod etiam humana Christi natura, prae omnibus reliquis hominibus, perfectissimis corporis et animi dotibus, ab attributis diuinis, quorum humana natura per vnionem cum diuina particeps facta est, omnino distinguendis, praedita fuerit. (Luc. II. 54.)

§. VII.

§. VII.

Ad *unionem personalem*, qua mediator, Deus et homo, factus est vnus Christus, recte perspicendam, notandum nobis est: (1) quomodo *vnitio* naturarum, diuinae et humanae, differat ab *incarnatione* et *unione*; quidue haec verba significant: (2) quomodo *probari* possit, *vnitionem* naturarum vere factam esse: (3) quibus *terminis* *vnitio* naturarum, et, quae ex illa fluit, *vnio* recte explicari queat: et (4) quare *vnio* illa, non naturalis, non essentialis, non accidentalis, non mystica, sed *personalis* dicatur.

§. VIII.

Vnitio duarum naturarum in Christo, et *incarnatio* filii Dei, vna eademque actio est; non vna tamen ratione haec ipsa *vnitio* ab *incarnatione* est distinguenda. Nam (1) *incarnatio*; praeter assumptionem carnis humanae, etiam eiusdem productionem denotat, cum *vnitio* tantum illius assumptionem significet: (2) *vnitio* adhibetur respectu naturarum; *incarnatio* respectu personae; (3) respectu *vnitionis* propositiones conuerti possunt de duabus Christi naturis, quod respectu *incarnationis* fieri non potest.

§. IX.

Ab *vnitione* vero differt *vnio*, vti status ab

actu. *Vnitio* enim actum transeuntem significat; *vnio* statum permanentem. Hinc *vnitio actus* ille dicitur, quo *secunda persona diuinitatis humanam naturam, propria substantia destitutam, intra suam hypostasin assumpsit, vt vna persona, vnus mediator prodiret, qui simul verus Deus, et verus homo esset.* *Vnio* autem est *inhabitatio plenitudinis diuinitatis τὸ λόγος in carne assumpta.*

§. X.

Duarum naturarum in Christo *vnitio* optime *probari* potest ex iis scripturae testimoniis, quae (1) *Deum in carne* manifestatum, siue *λόγον* carnem factum esse: (1. *Tim.* III. 16. *Iob.* I. 14.) et tamen (2) *vnium* tantum mediatorem esse inter Deum et homines, testantur: (1. *Tim.* II. 5. 1. *Cor.* VIII. 6.) quaeue (3) *vnium* illum mediatorem, modo vt verum *Deum*, modo vt verum *hominem*, describunt. (*Matth.* XXII. 42. 44.) Et sane (4) ipse *fnis incarnationis* postulauit, vt duae in Christo naturae, diuina et humana, in vna persona arctissime et indissolubiliter coniunctae essent. (*Conf.* §. III.)

§. XI.

Hanc *vnitionem* naturarum, et ex illa fluentem *vnionem*, cum *Nestorius* ita doceret, vt dualitatem personarum statuere, et per consequentiam *vnionem* ipsam tollere

videretur; *Eutyches* vero vnitatem personae ita assereret, vt simul vnitatem naturae astrueret: in explicanda hac doctrina patres quatuor potissimum vsi sunt vocabulis, nempe *ἀδιακρίτως* et *ἀχωρίτως*, *ἀσυγχύτως* et *ἀρρήτως*, vt contra *Nestorium*, duas in Christo naturas, nec quoad substantiam separatas esse, nec vnquam separari potuisse; aduersus *Eutychen* vero, nec duas Christi naturas alteratas, vel, depositis proprietatibus suis, in tertiam aliquam dissimilem naturam confusas, nec humanam naturam in diuinam esse conuersam, vel absorptam, tuerentur.

§. XII.

Vnio autem naturarum in Christo non dici potest (1) *naturalis*, quia natura, siue legibus naturae, non ordinatae sunt duae Christi naturae ad tertium aliquod constituendum; nec (2) *essentialis*, cum ex vnitis naturis non vna facta sit essentia; nec (3) *accidentalis*, cum duae substantiae in Christo indissolubiliter sint vnitae; nec (4) *mystica*, in qua fideles suam retinent subsistentiam, qui etiam non raro vnione cum Deo excidunt: sed *personalis*, quia vnio ista tendit ad vnam constituendam personam.

§. XIII.

Ex vnione naturarum personali, intima
dua-

duarum *naturarum communio*, et ex hac communione *naturarum*, etiam *idiomatum communicatio* sequitur. Ad illam *propositiones*, quas dicunt, *personales* referendae sunt: ad hanc vero omnes *reliquae propositiones biblicae*, quae de Christo mediatore in sacris literis habentur.

§. XIV.

Communio, vel *communicatio naturarum* est, per quam *diuina* natura *fili* *hominis*, *humana* autem natura *fili* *Dei* esse censetur. Respectu etiam diuinae naturae, totam humanam naturam penetrantis, (*Col. II. 9.*) haec *communio naturarum* *περιχώρησις* appellari solet, eo, quod natura diuina humanam ita permeet penetretque, vt nihil sit in humana natura, quod expers sit diuinitatis.

§. XV.

Propositiones personales dicuntur, in quibus concretum vnius naturae de concreto alterius naturae praedicatur. Quae propositiones quidem sunt inusitatae; minime tamen tropicae, sed propriae, et reales. Dicitur autem *concretum naturae* denominatio Christi mediatoris ab alterutra natura; et *concretum personae*, quando denominatio Christi vtramque respicit naturam, seu totam personam.

§. XVI.

§. XVI.

Communicatio indiomatum est, qua proprietates, siue *qualitates*, et *operationes*, quae vel diuinae, vel humanae naturae sunt propriae, et per se competunt, de altera natura praedicantur, ita quidem, vt diuina natura omnes suas perfectiones cum humana communicauerit, et omnes humanae naturae qualitates vere assumerit; atque adeo diuina attributa et opera, non formaliter et per se, sed per vnionis gratiam, de humana natura; et humana idiomatica atque opera, de diuina praedicari possint.

§. XVII.

Propositiones biblicae de Christo mediatore, quibus recte explicandis tota haec doctrina accommodatur, in tres commode diuiduntur classes, quae *tria* communicationis indiomatum *genera* constituunt. Respicendum enim quam maxime est *praedictum*, quod, *vel* est idioma, aut operatio naturae, modo diuinae, modo humanae; *vel* attributum diuinum ἐνεργητικόν, siue gloria et maiestas diuina, Christo homini in tempore data; *vel* actio quaedam ad officium mediatorium pertinens. Hinc *primum* genus speciatim dicitur *communicatio indiomatum*; *alterum* *communicatio ἀρχιμαίας* *vel maiestatis*; *tertium* *communicatio ἀπο-*

τελεσμάτων, vel *operationum* muneris mediatorii, ad quas vtraque natura, quod cuique proprium est, confert. Ex quo apparet, *communicationis* vocabulum, non tam pro *actu*, quam pro *statu*, et in primo ac secundo genere aliter, quam in tertio, usurpari.

§. XVIII.

Ad *primum* ergo genus idiomatum pertinent propositiones, in quibus *praedicatum* est proprietas quaedam, vel diuinae, vel humanae naturae; *subiectum* vero, vel concretum alterius, vel eiusdem naturae, vel concretum personae. Notandum vero, (1) quando subiectum est concretum alterius naturae, tunc praedicatum conuenire subiecto, non per se, sed ratione alterius naturae, quae ei personaliter vnita est, siue κατ' ἄλλο: (2) quando subiectum est concretum personae, tunc praedicatum ei quidem conuenire formaliter, et per se, ita tamen, vt per particulas diacriticas, δια, ἐν, ἐκ, κατὰ, declaretur, secundum quam naturam praedicatum subiecto competat. A propositionibus, in quibus loco subiecti ponitur *abstractum naturae diuinae*, et praedicati, idioma humanum, licet, si dextre explicatae fuerint, absurdi nihil inferant, merito tamen abstinendum est, quia eiusmodi propositiones

nes

nes ἀγραφοί sunt, variisque erroribus occasionem et argumentum subministrant.

§. XIX.

Ad *secundum* genus communicationis idiomatum referuntur propositiones, in quibus *praedicatum* est attributum diuinum ἐνεργητικόν, non in abstracto, sed in concreto positum; *subiectum* vero, vel concretum personae, vel etiam abstractum humanae naturae. Vbi notandum, (1) attributa diuina ἐνεργητικὰ Christo homini communicata esse, probari posse, partim *generatim* ex iis scripturae dictis, in quibus, quicquid patris est, Christo traditum, et omnis plenitudo diuinitatis in ipso habitare dicitur σωματικῶς; (*Iob. XVI. 15. Matth. XI. 27. Col. II. 9.*) partim *speciatim* respectu omniscientiae, (*Col. II. 3. Iob. II. 24. sqq.*) omnipotentiae, (*Matth. XXVIII. 18. Phil. III. 21.*) et viuificandi ac iudicandi potestatis, (*Iob. V. 21. 25. Rom. II. 16.*) omnipraesentiae, (*Matth. XVIII. 20. XXVIII. 20.*) cultus denique diuini, siue gloriae adorationis: (*Iob. V. 23. Phil. II. 9. sqq. Hebr. I. 6.*) et quamuis (2) attributa diuina ἀνεργητα, siue *quiescentia*, de Christo homine praedicari nequeant ob contradictionem, quam inuoluunt; eorundem tamen communicationem ideo negari non posse: praedicari enim possunt de Christo homine,
me-

mediante attributo ἐνεργητικῶ ; id, quod etiam ex rerum creatarum contemplatione, in quibus simile quippiam deprehenditur, illustrare licet. De iis propositionibus, in quibus subiecti loco ponitur *abstractum naturae humanae*, et quarum fundamentum habetur (*Iob. V. 51. seqq.*) theologi Smalcaldiae a. 1578. congregati, bene monuerunt, se neminem cogere, vt hisce phrasibus utatur, modo firmum maneat, Christum secundum humanam naturam diuinae maiestatis factum esse participem : sese etiam coram indocta plebe phrasibus hisce non uti, nec alibi vsuros, nisi, vbi necessitas postulauerit.

§. XX.

Ad *tertium* genus communicationis idiomatum omnes referuntur propositiones, in quibus *praedicatum* est opus, siue operatio, ad officium mediatorium pertinens ; *subiectum* vero, vel concretum naturae diuinae, aut humanae, vel concretum personae. In quibus propositionibus recte explicandis distincta semper ratio habenda est vtriusque naturae, quia vtraque id, quod suum est, contulit ; humana opus peregit, diuina virtutem et valorem addidit.

§. XXI.

Officium Christi mediatorium, quo secundum

dum

dum utramque naturam defungi debuit, pie recteque contemplaturis, *quatuor* potissimum notanda veniunt momenta: (1) *quale munus* Christus suscipere debuerit, et quid per *munus* Christi *mediatorium* intelligatur: (2) *quinam characteres Messiae*, siue mediatoris venturi, in veteri testamento praedicti sint, ut ex illis cognosci potuerit, quis pro mediatore inter Deum et homines sit habendus; quibusue argumentis evidentissime demonstrari queat, IESVM Nazarenum esse *verum* et *unicum promissum mediatorem*, seu *Messiam*: (3) quomodo IESVS ad officium *mediatorium vinctus* sit a spiritu sancto, ut *Messias*, siue *Christus*, eminentissima ratione appellari possit: et tandem (4) *qua ratione* IESVS Christus officio *mediatorio*, et vere *defunctus* sit, cum in *statu exinanitionis*, tum in *statu exaltationis*, et hodie, sedens ad dextram patris, *defungatur, et defuncturus sit* ad saeculi usque *conluminationem*.

§. XXII.

Intuitu *officii* sui Christus in sacris literis comparatur cum *propheta*, (*Deut. XVIII. 15. 18.*) *summo sacerdote*, (*Hebr. VII. 17.*) et *rege*. (*Luc. I. 32. 33.*) Hinc quaestio orta est, *quotuplex* sit officium Christi. Idem vero in scriptura sacra eodem respectu etiam comparatur cum *medico, pastore, patre, marito,*

G

rito,

rito, goële, siue vindice, et sponsore, vt reliquas, quae in scriptura sacra leguntur, comparationes in praesenti missas faciamus. Ea igitur scripturae sacrae loca prius sunt expendenda, in quibus officium Christi propriissime describitur; et tum demum dispiciendum est, quomodo comparationes biblicae recte sint intelligendae, et explicandae.

§. XXIII.

In omnibus iis locis, in quibus officium atque beneficium redemptoris generis humani propriis describitur verbis, CHRISTVS nobis *listitur mediator inter Deum et homines, (1. Tim. II. 5.)* qui, et *Deum*, peccatis hominum offensum, placare debuit, et *homines*, operibus satanae destructis, e statu irae atque miseriae, in statum gratiae, veraeque felicitatis transferre, ab omni iniustitia liberare, sibi vindicare ac sanctificare, atque per crucem ad lucem, per varias tribulationes ad aeternam beatitudinem perducere. *Vnum* itaque est Christi redemptoris officium, quod *mediatorium* recte appellatur, cuius *duae* constitui possunt *partes* principales. *Alia* enim ratione agendum ipsi fuit cum *Deo*; *alia* cum *hominibus*. *Ea* vero, quae, cum respectu Dei, tum respectu hominum peregit, ad vnum eundemque finem collineant omnia, eaque de caussa seiungi non possunt. *Deus* enim placari debuit, ne homines aeternum

num

num perirent : expiatio autem fructu caruisset , nisi homines illius participes redderentur.

§. XXIV.

Primum iustitiae diuinae pro hominibus peccatoribus *satisfactio* praestari debuit, quo *Deus*, salua sua iustitia, homines in gratiam recipere posset. Hinc *peccata* totius mundi, redemptori generis humani, a Deo, iustissimo iudice, sunt imputata, (2. Cor. V. 21.) isque *poenas*, omnibus hominibus in aeternum sustinendas, subire debuit, et *sacerdotis* instar semet ipsum offerre in *sacrificium* expiatorium, ac proprio suo sanguine in sancta ingredi, aeternam *λύτρωσιν* inuenturus. Sic boni *pastoris* instar animam suam ponere debuit pro ouibus perditis, vt vitam et salutem illis recuperaret. Deinde etiam *legem* diuinam omni ex parte adimplere debuit, et perfectissimam, quam praecceptum diuinum ab homine peccatore exigebat, hic vero praestare non poterat, patri suo caelesti exhibere obedientiam. Tandem obedientia, et passiuam, et actiuam, praestita, apud Deum placatum *intercedere* potuit debuitque pro hominibus, vt gratiam caelestem in ipsos deriuaret, iisque *benediceret*.

§. XXV.

Homines vero, sanguine suo redemptos, quo redemptionis fructum atque effectum

consequi possent, de vera, qua salus vnice obtineri potest, via, siue de ordine salutis, certiores reddere debuit mediator; et, quotquot gratiosae voluntati diuinae non repugnent, sed doceri et moneri, duci regique se patiantur, ab hostium spiritualium insultibus seculos praestare, gubernare, tandemque ex hac vita in fide decedentes, in altera, eaque felicissima vita, aeternum beare. Prius recte dici potest *officium propheticum*: posterius *officium regium*: vtrumque vero etiam in *officio Christi pastoralis* coniunctim nobis exhibetur.

§. XXVI.

Ad officium Christi *propheticum* referri potest, debetque, (1) *veritatis* caelestis, de medio consequendi gratiam apud Deum, *reuelatio*, quae in veteri testamento per prophetas πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως facta, in nouo testamento per ipsum redemptorem fieri debuit, vt omnem voluntatem Dei manifestaret; (*Ioh. I. 18.*) et non solum futura praediceret; verum etiam omnia creditu necessaria traderet; omnia quoque officia, quae lex diuina exigit, verbis factisque doceret; atque hoc pacto homines rudes institueret, errantes in rectam viam reuocaret, repugnantes obiurgaret, miseros afflictosque erigeret, atque ecclesiam, multis modis corruptam, reformaret: (2) *doctrinae* traditae *confirmatio* per

per *miracula*, propria sua virtute praestita: et (3) confirmatae doctrinae *propagatio* ac *conseruatio*, primum per *apostolos*, in vniuersum orbem ad praedicandum euangelium missos, tum vero etiam per *ministerium* ecclesiasticum, publice riteque constitutum.

§. XXVII.

Ad *regium* Christi officium referuntur (1.) *spirituale regimen ecclesiae* militantis, per verbum et sacramenta; (2.) *singularis gubernatio*, cum ecclesiae vniuersae, tum singulorum fidelium, multas inter tribulationes, et calamitates, quibus cum in hoc saeculo subditis Christi sub ipsius auspiciis, ductu, et virtute colluctandum est; et (3.) *translatio* omnium eorum, qui in certamine fidei ad finem vsque vitae suae persistunt, et vi sanguinis regis sui victoriam deportant, e regno gratiae *in regnum gloriae*, e militante ecclesia in triumphantem, vt coronam iustitiae consequantur.

§. XXVIII.

Talem Messiam et mediatorem cum Deus in veteri testamento iam promiserit, certisque *characteribus* designauerit, vt ex illis manifestum fieret omnibus, quis pro mediatore habendus esset, in hominum peccatorum salutem caelitus misso, veraque fide amplectendo; nostrum nunc est, vt praeci-

puos Messiae characteres ex veteri testamento colligamus, eosdemque in *IESVM Nazarenum, ex Maria virgine, sub Augusto imperatore Bethlebemi natum*, quadrare omnes, luculenter ostendamus. Quo ipso etiam demonstratum dabitur, verum, et patribus promissum Messiam iam aduenisse, et praeter Iesum, saluatorem nostrum, nullum alium Messiam exspectandum esse.

§. XXIX.

Characteres Messiae, a prophetis in veteri testamento praedicti, ac definiti, vel *personam* mediatoris respiciunt, vel ipsum *officium* mediatorium; ideoque in duas recte dispesci possunt classes.

§. XXX.

Ad *personam* Messiae referendum est, quando praedictum legimus, (1) eum fore *θεόν θεωνον*, verum *Deum*, et simul verum *hominem*; (2) qua hominem, eum fore *semen Abrahae*, e *tribu Iudae*, ac *familia Davidis* proditurum; et quidem (3) *ex virgine*, (4) *Bethlebemi* nasciturum; eoque (5) venturum esse *tempore*, quo sceptrum quidem a *Iuda* auferendum; templum tamen *Hierosolymitanum* secundum adhuc incolume futurum esset, vt priore illustrius reddi posset; quoue septimanae, a *Daniele* constitutae, iam iam essent praeterlapsae.

§. XXXI.

§. XXXI.

Ad officium Messiae mediatorium pertinent ea omnia, quae de hoc ipso venturo Messia in veteri testamento praedicantur et promittuntur, videlicet: (1) eum fore *personam* admodum *illustrem*, prophetam, regem, sacerdotem; nihilo tamen minus (2) infinitas eum *calamitates*, quin et *mortem* acerbissimam, pro peccatis hominum esse subiturum; morte vero superata, eum (3) ex mortuis gloriose *resurrecturum*, vitamque habiturum esse semper duraturam; eum etiam (4) *doctrinam* caelestem recte perfecteque traditurum, ac diuinis miraculis confirmaturum, ut sui cognitione suos iustificaret; tandemque (5) eum ecclesiam non solum reformaturum, sed etiam amplificaturum, et fideles suos, ex omnibus terrarum partibus collectos, prudenter potenterque gubernaturum, defensurum, ac sempiternae felicitatis participes facturum esse.

§. XXXII.

Hosce characteres Messiae, ex veteri testamento probatos, in IESU Nazareno reperiri omnes, in primis scriptorum noui testamenti θεοπνεύτων, deinde etiam aliorum scriptorum testimoniis, tam euidenter probari potest, ut nullum nobis superesse queat dubium,

quin *Iesus*, in quem credimus, fit *Christus*, siue verus, et vnicus Messias, patribus promissus.

§. XXXIII.

Messias vero, siue *Christus*, vel, quod idem est, *unctus* dum dicitur saluator noster, operae omnino pretium est, vt ipsam Christi vnctionem distincte exponamus. Obseruemus itaque, (1) *qualis actus* vnctio sit, et quinam in veteri testamento *uncti* fuerint; (2.) quid per *vnctionem Christi* indicetur; (3) quomodo *vnctio* ipsius a *communicatione idiomatum* diuinorum fit distinguenda; et (4) *quando*, et *quoties IESVS* saluator noster vnctus sit, ad officium mediatorium, ex voluntate patris sui caelestis suscipiendum, et perficiendum.

§. XXXIV.

Vnctio dicitur actus externus symbolicus, siue ritus ab antiquissimis temporibus receptus, quo olei, siue balsami, in caput, pectus, humeros, aliasque corporis partes hominis cuiusdam effusione significatur, a reliquis hominibus illum distinctum, et ad certum aliquod munus inauguratum esse, donis ad munus illud necessariis, et a caelesti fauore proficiscentibus, copiose, vel instructum, vel instruendum. In veteri testamento vncti fuerunt *Aaron* in summum sacerdotem, (*Leu. VIII. 2. 12.*) *Saul*, *Dauid*, alii-
que

que, vt regia auctoritate praeessent populo, (1. Sam. X. 1. XVI. 13.) et *Elisa*, vt in officio prophetico *Eliae* succederet. (1. reg. XIX. 15. 16.)

§. XXXV.

Ab eiusmodi vnctione etiam redemptor generis humani *Messias* siue *Christus* appellatus est; (1. Sam. II. 10. psalm. II. 2. Dan. IX. 25. 26. Conf. Iob. I. 41.) ipsa quoque vnctio redemptoris in sacris literis diserte describitur. (Psalm. XLV. 8. coll. Hebr. I. 8. 9. Ies. LXI. 1. coll. Luc. IV. 18. Dan. IX. 24. act. X. 38.) Per hanc vero vnctionem *Messiae* non intelligendam esse censemus diuinarum perfectionum collationem, sed collationem donorum spiritualium, in *Christum*, qua humanam naturam, in se spectatam, sine mensura effusorum, adeo, vt etiam, qua homo, singularibus plane dotibus, humanae suae naturae propriis, ad munus suum mediatorium instructus fuerit.

§. XXXVI.

Etenim vnctionem *Christi* omnino distinguendam esse a communicatione diuinorum idiomatum, humanae *Christi* naturae facta, (vid. §. XIX.) sequentibus probari potest argumentis. (1) *Communicatio idiomatum vno et simplici actu* in ipsa incarnatione et vnctione naturarum facta est, ita, vt omnia diuina idiomata humanae naturae, intra subsi-

stentiam τῆς λόγῃ assumtae, simul sint donata: *unctio* vero talia complectitur dona, quibus *unctus* proficere, et quorum collatio diuersis vicibus augeri potuit, ita, vt ipsa *unctio iterata* dici queat. (2) *Idiomatum diuinorum communicatio*, facta *humanae naturae*, probat Messiam nostrum esse Θεάνθρωπον: *unctio* vero, ceu actus ad officium praeparatorius, *personae* redemptoris tribuitur, ita, vt totus Christus, Θεάνθρωπος, recte *unctus* dicatur, quamuis secundum solam humanam naturam vngi potuerit. (3) *Communicatio idiomatum infinita* dona humanae Christi naturae attulit, quorum nullus mortalium particeps fieri potest: *unctio* vero talia dona contulit in eandem naturam humanam, quorum intuitu socios et consortes habere potest Messias, siue, quae etiam fidelibus et discipulis Messiae dari possunt, ipsi tamen Messiae eminentissimo gradu propria sunt. (4) *Donorum infinitorum*, per *idiomatum communicationem* concessorum, *usum* plenarium Christus in statu exinanitionis libere *deposuit*: *donorum* vero per *unctionem* acceptorum *usum* semper *retinuit*, et subinde luculentiori ratione demonstrauit.

§. XXXVII.

Quando, et quoties unctio Christi facta sit, in scriptura quidem sacra disertis verbis relatum

latum non legimus. Attamen secundum ductum scripturae sacrae tres distincti vinctio- nis Christi actus constitui possunt. *Primum* enim vinctio facta est in *utero matris*, in quo Christus donis sanctificantibus praeditus est. *Deinde* successu temporis vinctio illa *aucta* fuit, Iesulo, uti aetate, ita etiam *sapientia*, et *gratia* apud Deum, et apud homines, cre- scente. (*Luc. II. 52.*) *Denique* singulari ra- tione facta est vinctio in *baptismo* Christi, in quo spiritus sanctus, specie columbina visi- bili, super Christum descendit, mansitque. (*Matth. III. 16. Ioh. I. 32. 33.*) Tum enim Christus ad officium suum publicum solen- niori modo inauguratus est, et, tentationibus satanae in deserto absque peccato superatis, atque illustri donorum spiritualium specimine edito, publicum quoque doctoris mu- nus, obstupescente et admirante uniuerso populo Iudaico, insigni cum fructu subiit, et sese doctorem esse ab ipso Deo missum, verbis factisque comprobauit.

§. XXXVIII.

Tandem ad officii mediatorii exsecutio- nem pie contemplandam deuenimus, ut, qua ratione Christus officio suo defunctus sit, hodie defungatur, atque ad saeculi vs- que consummationem sit defuncturus, recte cognoscamus. Atque hic *primo* loco nobis probandum est, Christum officio suo me- diato-

diatorio in eodem statu defungi non potuisse: *secundo* vterque *status*, et *exinanitionis*, et *exaltationis*, accurate definiendus, ac, *terminis* vtriusque recte positis, determinandus est: et *ultimo* loco dispiciamus, *quomodo* Christus *in utroque* statu officium mediatoris *peregerit*, et in statu exaltationis hodie *peragat*, atque ad diem vsque iudicii extremi sit *peracturus*.

§. XXXIX.

Messiam in diuino splendore, vsuque infinitae potestatis, siue in forma Dei, et statu gloriae, officio mediatorio defungi, et voluntati diuinae satisfacere non potuisse, ex partibus officii huius, supra positis, liquido constat. Legi enim diuinae subiectum esse, et vltima pari, non cadit in dominum supremae maiestatis. Hinc omnino necesse erat, vt Dominus sese demitteret, et formam serui indueret, ad eas officii sui partes adimplendas, quae non, nisi in humilitate, consummari poterant. In forma autem serui et humilitate permanere non debuit, dominus dominantium euasurus, regnum suo sanguine partum occupaturus, suosque de certitudine salutis restituta, et victoriae nunquam non sperandae, certiores facturus. *Status* ergo *exinanitionis* praecedere debuit; eundem vero, ad certum temporis terminum
pro

pro confilio diuino duraturum, excipere debuit status exaltationis, finem non habiturus.

§. XL.

Status exinanitionis est, in quo Christus Θεάνθρωπος, formam Dei, id est, communicatam gloriam diuinam, cum forma serui, id est, externa specie hominis miseri ac peccatoris, ad certum tempus commutauit, et plenarium attributorum diuinorum ἐνεργητικῶν vsum abdicauit, radiis diuinæ gloriæ rarius ostensis, vt mortem crucis subire potuerit. (Phil. II. 6. 7. 8.) Status vero exaltationis est, in quo idem Christus Θεάνθρωπος, morte superata, plenarium communicatæ diuinæ maiestatis vsum, quo tantisper se abdicauerat, sibi rursus vindicauit, nunquam illum iterum depositurus, et omnem formam serui exiit, vt omnes Saluatorem, diuina coruscantem gloria, adorarent. (Phil. II. 9. 10. 11.)

§. XLI.

Status itaque *exinanitionis* Christi, a primo statim *coepit conceptionis* momento; per totum, quo in his terris inter Iudæos versatus est, temporis interuallum *durauit*; et tandem in *passione, morte, ac sepultura*, finitus est. Simulac vero Christus *vitam recepit*, initium statim *sumsit status exaltationis*, ad quem, praeter *descensum Christi ad inferos*, refertur *resurrectio*, in qua, et

a pa-

a patre resuscitatus est, et se ipsum resuscitavit, seque apostolis in corpore suo glorificato videndum, palpandumque exhibuit; (*act. X. 40. 41.*) porro *ascensio in caelum*, immo super omnes caelos, (*Eph. IV. 10.*) siquidem omnes caelos pertransiit, et altior caelis factus est; (*Hebr. IV. 14. VII. 26.*) et *sessio ad dextram patris*, qua regnum vere diuinum, cum maiestate, soli Deo propria, designatur. (*1. Cor. XV. 25. Eph. I. 20. sqq.*) Et in hoc statu vsuque maiestatis diuinae suo tempore eundem in modum, quo in caelum sublatus est, *redibit* ad iudicium, super omnes homines, viuentes ac mortuos, instituendum. (*act. I. 11. X. 42.*)

§. XLII.

Officio autem mediatorio Christus in *statu exinanitionis* per varios, eosque perinignes actus, ex scriptoribus euangelicis probe discernendos, defunctus est. (1) Semetipsum legi in *circumcisione* subiecit: (2) ab infantia sua, vsque ad mortem, perfectissimam omni legi diuinae praestitit obedientiam, nobisque exemplum humilitatis ac mansuetudinis reliquit: (3) praecursore Iohanne baptista praemisso, ipsemet ab illo baptizatus, veritatem caelestem praedicauit, miseris afflictasque animas mirifice est consolatus, atque errantes in veram salutis viam du-

duxit : (4) doctrinam suam quam plurimis confirmavit miraculis , vt testatum faceret, se esse verum Messiam, doctorem a Deo missum : (5) apostolos quoque et discipulos suos verbum euangelii praedicare iussit : (6) sacramenta, baptismum et sacram coenam instituit : (7) appropinquante hora, diuino consilio ad passionem mortemque subeundam destinata, maximos summa cum patientia pertulit dolores , non solum qua corpus, sed etiam qua animam, et in cruce semetipsum obtulit Deo , in sacrificium expiatorium, pro peccatis hominum, tanquam bonus pastor moriens pro ouibus suis : et denique, vti (8) ante mortem suos conseruauerat in fide, pro illis orando, eosque docendo ac gubernando ; ita (9) moriens pro suis, quin et pro hostibus, intercessit, et (10) in morte quoque, ac post mortem regem sese praebuit credentibus, custodem, conseruatorem, ac liberatorem potentissimum, qui in hac vita suos defendere, et post hanc vitam in paradysum, regnumque suum caeleste, suscipere valeat.

§. XLIII.

Ineunte *statu exaltationis*, non solum primis post resurrectionem suam diebus, sed etiam in primis ecclesiae christianae, per vniuersum terrarum orbem dilatandae, ac plantandae, saeculis, officio suo mediatorio ita de-

defunctus est saluator optimus, vt (1) vi
meriti sui apud patrem caelestem pro homi-
nibus intercedere non desierit: (2) aposto-
los suos in vniuersum orbem, ad euangelium
praedicandum, et sacramenta dispensanda,
miserit: (3) extraordinaria et miraculosa
dona spiritus sancti a patre pro suis accepe-
rit, et in suos contulerit: (4) veritatem do-
ctrinae euangelicae, ab apostolis praedicatae,
miraculis confirmauerit, atque apostolis fa-
cultatem miracula perpatrandi concesserit:
(5) ecclesiam suam admiranda prorsus ra-
tione propagauerit, et conseruauerit: (6)
in fatis, cum integrarum ecclesiarum, tum
singulorum fidelium, dirigendis, plurima
prouidentiae ac potentiae suae diuinae do-
cumenta ostenderit: tandemque (7) in fide
cum Stephano morientibus caelum aperu-
erit.

§. XLIV.

Praesentem si spectamus aetatem, et eam,
quae futura est, posteritatem, nullum (1)
nobis esse potest dubium, quin IESVS sal-
uator noster, sedens ad dextram patris, pro
nobis quoque intercedat, (*Rom. VIII. 34.*
1. Ioh. II. 1.) et noster sit mediator, cuius o-
pe, gratia, ac virtute, omnia bona et perfe-
cta dona desuper in nos veniant, et in po-
steros quoque sint profectura. (2) Sicuti
ministerium ecclesiasticum instituit; (*Eph.*
IV. 11.)

IV. 11. 12.) sic etiam hodie doctores ecclesiarum atque scholarum mediate constituit, atque docentium ordinem in posterum quoque conseruabit: cumque dona miraculosa in ecclesia iam plantata non amplius necessaria sint, (3) ordinariis, quin et nonnunquam extraordinariis, donis administrantibus doctores instruit, instruetque pro sua voluntate: et (4) per verbum euangelii, recte propositum ac intellectum, mentes hominum illuminat, emendatque, et confirmat, diuinam verbi sui virtutem semper efficacem esse demonstraturus: quippe quo (5) gregem vere credentium sibi subinde colligit, et non solum perpetuo collecturus, sed etiam, quod pie speramus, insigniter est amplificaturus: nec (6) vnquam desinet ecclesiam suam pro vario illius statu in terris prouidenter gubernare, potenterque tueri, ac se praestare Dominum, et obsequentes singulari cura, praesidio, atque auxilio, et renitentes iusto iudicio prosequentem: omnes etiam, (7) qui in fide ex hac mortalitate decedunt, longe felicioris vitae, aeternum duraturae, participes reddit.

§. XLV.

In fine saeculi, diuinitus constituto ac determinato, regis instar comparebit in gloria et maiestate diuina, ac mortuos resuscitados,

H

vi-

viuosque homines immutatos, coram tribunali suo angelorum ministerio conuocabit. Iusto autem iudicio habito, regnum, omnibus officii sui partibus ex voluntate patris adimpletis, patri suo caelesti tradet. (1. Cor. XV. 24.)

§. XLVI.

Haec doctrina de Christo mediatore, quae a PAVLO *mysterium pietatis* appellatur, (1. Tim. III. 16.) mentes nostras excitare ac compellere potest, debetque, vt sancto Christum ex sacris literis recte agnoscendi desiderio flagremus, in codice sacro Christum rite quaeramus, et in salutari ipsius agnitione in dies proficiamus. In primis benignitatem et *Φιλανθρωπίαν* numinis, quae in hoc mysterio se quam maxime conspiciendam praebet, (Tit. III. 4.) veram in nobis gignere patiamur fiduciam, vt per vnicum hunc mediatorem nos tantum gratiam apud Deum consequi posse, firmiter credamus, et, cum Christo per fidem ita vniti, vt Christus in nobis spiritali modo habitet, regnetque, et nos in Christo viuamus, ab hoc saluatore nostro omnem salutem huius, atque futurae vitae, pie expetamus, constanterque expectemus. Tum vero etiam hocce mysterio ad verae pietatis studium nos excitatos, et genuinos Christi discipulos esse, in vera Christi imitatione demonstramus, et patiamur
cum

cum Christo, (*Rom. VIII. 17.*) crucem suscipientes, (*Matth. X. 38.*) et vestigia, quae Christus in passione sua nobis reliquit, prementes: (*1. Petr. II. 21. 22. 23.*) sumnam quoque ipsius discamus et imitemur humilitatem et mansuetudinem, ut ad sanctissimum Christi exemplum omnia, quae Deo, proximo, et nobismet ipsis praestanda sunt officia, recte exsequamur: et carnis nostrae concupiscentias coercentes, Christum super omnia diligamus, (*Luc. XIV. 26. 33.*) intrepide confiteamur, (*Luc. IX. 26.*) et in Christo ad finem usque vitae perseueremus, ut, superatis omnibus hostibus nostris, cum Christo triumphemus, et cum eo ad gloriam caelestem euehamur.

TABVLA SYNOPTICA.

Doctrina de CHRISTO duo complectitur momenta. §. I. Hinc

I. De PERSONA CHRISTI agitur §. II-XX. ubi tres ponuntur theses, §. II. quarum

prima est: Christus est verus Deus et verus homo. Ad quam distincte probandam asseritur,

1. Christum Θεόν ὁμοῦτον esse debuisse, §. III.

2. IESVM nostrum esse verum Deum, §. IV.

3. et verum hominem, §. V.

4. proprietatibus tamen indiuidualibus prae omnibus reliquis hominibus eminentem. §. VI.

altera: Duae naturae, diuina et humana, in Christo personaliter sunt vnitae: ubi, quae de vnione personali notanda veniunt, summam ponuntur, §. VII. et quidem

1. quae sit differentia verborum, incarnationis, vnitionis, et vnionis. §. VIII. IX.
2. quomodo vnitio naturarum probari queat. §. X.
3. quibus terminis patres vnionem exposuerint. §. XI.
4. quare vnio haec non naturalis, nec essentialis, nec accidentalis, nec mystica, sed personalis dicatur. §. XII.

tertia: Ex vnione personali fluit communicatio naturarum et idiomatum. §. XIII. *vbi*

1. naturarum communicatio describitur. §. XIV.
2. propositiones personales explicantur. §. XV.
3. communicatio idiomatum exponitur. §. XVI. et
4. omnes reliquae propositiones biblicae de Christo ad tres classes, seu tria communicationis idiomatum genera referuntur. §. XVII. quorum

primum describitur, et explicatur §. XVIII. secundum. §. XIX. tertium. §. XX.

II. De OFFICIO CHRISTI MEDIATORIO agitur §. XXI-XLVI.

vbi, positis iis, quae notanda sunt, §. XXI.

I. munus mediatorium generatim consideratur, doceturque,

1) ex locis biblicis, in quibus non figurate, sed proprie traditur, illud optime cognosci posse. §. XXII.

2) re vera esse vnicum officium, cuius duae sint partes principales, §. XXIII. siquidem

(1) respectu Dei necessaria fuit satisfactio, obedientia passiuua, et actiuua, nec non intercessio. §. XXIV.

(2) respectu hominum vero informatio, et actualis saluatio in hac et altera vita. §. XXV. *vbi* offi-

officium Christi propheticum siue didacticum, §. XXVI.

et regium speciatim explicatur. §. XXVII.

2. *characteres Messiae venturi §. XXVIII.*
 1. *iusto ordine enarrantur. §. XXIX.XXX.XXXI.*
 2. *ad IESVM Nazarenum, verum, et vnicum Messiam, applicantur. §. XXXII.*
3. *unctio, a qua redemptor generis humani Messias, siue Christus appellatur, describitur §. XXXIII. ubi not.*
 - 1) *qualis actus unctio sit, et quinam in V. T. uncti fuerint. §. XXXIV.*
 - 2) *ex quibus dictis scripturae, et quomodo unctio Christi sit exponenda. §. XXXV.*
 - 3) *quae sit differentia inter unctionem et communicationem idiomatum. §. XXXVI.*
 - 4) *quando et quoties IESVS unctus sit. §. XXXVII.*
4. *officii mediatorii executio declaratur, §. XXXVIII. et quidem*
 - 1) *status exinanitionis et exaltationis necessitas demonstratur. §. XXXIX.*
 - 2) *utriusque status definitio, §. XL. et termini ponuntur. §. XLI.*
 - 3) *ipsa officii mediatorii executio traditur, ac diuicide explicatur,*
 - 1) *quomodo IESVS officio mediatorio functus sit in statu exinanitionis. §. XLII.*
 - 2) *quomodo illo defunctus sit in statu exaltationis, praesertim in fundatione ecclesiae. §. XLIII.*
 - 3) *quomodo eodem defungatur hodie, et defuncturus sit ad finem saeculi. §. XLIV.*
 - 4) *quid in fine saeculi facturus sit. §. XLV.*
 - 4) *monita practica. §. XLVI.*

LIBRI QVARTI
CAPVT TERTIVMDE
FIDE ET GRATIA REGENE-
RANTE SEV CONVERTENTE.

§. I.

VT beneficiorum a Christo nobis acqui-
ditorum participes reddamur, Christum
mediatorem *fide* amplecti debemus *saluifica*,
quae in sacris literis etiam *fides Christi*,
hoc est, quae Christum mediatorem eius-
que meritum apprehendit, et sibi vindicat,
(Gal. II. 16. 20.) itemque *fides in sanguine*
Christi appellatur. (Rom. III. 25.) Et hanc
fidem recte dixeris *donum Dei*, a *spiritu*
sancto per verbum euangelii et sacramenta,
in hominem peccatorem, non malitiose *resi-*
stentem, collatum, quo homo peccator, iram Dei
sentiens, in virtute sanguinis Christi, vera
fiducia apprehensi, ad Deum sese conuertere,
et remissionem omnium peccatorum suorum
consequi potest; quouae tota mens ipsius im-
mutatur, intellectus illuminatur, ac totum cor
ab inordinato sui ipsius mundique amore ma-
gis magisque purgatur, et amore Dei inflam-
matur.

§. II.

Namque solus *Deus* est, qui fidem nobis
do-

donat, (*Phil. I. 29.*) et pro diuina sua potentia in nobis operatur. (*Iob. VI. 29. Eph. I. 19. 20.*) Neque quisquam ad Christum venire potest, nisi pater trahat ipsum. (*Iob. VI. 44.*) Et filius est inchoator ac consummator fidei. (*Hebr. XII. 2.*) Nemo etiam Christum Dominum suum vocare potest, nisi per *spiritum sanctum*, cui in sacris literis etiam donatio fidei, et quicquid ad illuminationem, conuersionem, et sanctificationem spectat, speciali quadam ratione tribuitur. *Fides* ergo, quam nonnulli fingunt, *naturalis* nulla est, cum in viribus naturae positum non sit, vt homo in Christum credere possit.

§. III.

Deus autem non immediate, si extraordinariam gratiam exceperis, fidem in nobis producit, sed mediante *verbo euangelii*, (*Rom. I. 16. X. 17.*) semine illo incorruptibili, ex quo regeneramur, (*1. Petr. I. 23. Iac. I. 18.*) et *baptismo*, praesertim respectu infantum, (*Iob. III. 5. Eph. V. 26. Tit. III. 5.*) non exclusa plane *sacra coena*, quamuis sit sacramentum confirmationis. Hinc etiam opera *ministorum verbi diuini* intercedit, (*1. Cor. III. 5. 6.*) per quos Deus fidem accendit; (*Iob. XVII. 20. 2. Cor. IV. 6.*) quo ipso tamen minime negatur, Deum cuiuslibet christiani ministerio vti posse ad fidem

in corde hominis alterius producendam.
(*Iac. V. 19. 20.*)

§. IV.

Haec fides non tam leges et mandata, quam promissiones Dei euangelicas, in sacris literis reuelatas, respicit, et speciali misericordiae diuinae inniritur, quam Christus nobis conciliauit, traditus propter peccata nostra, et resuscitatus propter iustificationem nostram. (*Rom. III. 24. 25. IV. 24. 25.*) Hunc fides intuetur, (*Iob. III. 14. 15.*) et misericordiam patris caelestis, ac remissionem peccatorum, in ipso nobis oblatam, (*act. X. 43.*) apprehendit.

§. V.

Et quemadmodum fides ab omnibus saluandis requiritur, (*Marc. XVI. 16.*) ita Deus etiam omnibus fidem offert, et, mediis a se constitutis, in omnibus vult producere. Quia vero non omnes media illa adhibent, sed plurimi eadem respuunt, aut in vsu illorum spiritui sancto resistunt, fides non omnium est, (*2. Theff. III. 2.*) sed eorum tantum, qui a tenebris ad lucem se conuertere patiuntur, et in statu gratiae perseuerant. Neque tantum adultis, verum etiam infantibus, fidem tribuit scriptura sacra, vtut non diserte exponat, quatenam fidei sit indoles in infantibus. (*Matth. XVIII. 6. Marc. IX. 42. X. 14. Luc. XVIII. 16.*)

§. VI.

§. VI.

Fides autem totum hominis animum penetrat, nec tantum ad intellectum, verum etiam ad voluntatem referenda est. *Actus* enim fidei varii sunt, et arctissime inter se coniuncti, vt alter semper alterum excipiat, nec ab altero separari queat. In *intellectu* exferit sese fides, non solum per *notitiam* simplicem, eamque explicitam; (*Iob. XVII. 3. Eph. I. 15 -- 19.*) sed etiam per plenarium *assensum*, eumque *specialem*, et *diuinum*, siue certissimam conuictionem mentis, qua testimonium DEI, de Christo vnico mediatore, et peccatorum remissione per Christum impetranda, recipitur. (*Iob. III. 33. IV. 39. 40. 1. Thess. II. 13. Hebr. XI. 1.*) In *voluntate* autem excitat fides ardentissimum vnionis cum Christo *desiderium*, (*psalm. CXIX. 174.*) et firmissimam *fiduciam*, (*psalm. II. 12.*) qua Christum recipimus, (*Iob. I. 12.*) apprehendimus, et nobis vindicamus, (*psalm. XVIII. 2. 3.*) ipsi firmiter adhaerescimus, (*ps. LXIII. 9.*) nosque totos mancipamus, (*Ies. XLIV. 5.*) et in ipso acquiescimus. (*psalm. LXXIII. 25. 26.*)

§. VII.

Effectus fidei est primum iustificatio, et quicquid eam sequitur; (*Rom. V. 1.*) tum vero etiam renouatio, (*act. XV. 9. Rom. XII. 1. 2.*) quae bona quaeuis opera comple-

plectitur; (2. *Petr. I. 5. sq.*) speciatim caritas, (*Gal. V. 6.*) et spes. (*Rom. V. 5.*) Qui ergo fidem in obedientia, aut in caritate constituunt, effectum, seu necessarium fidei consequens, cum ipsa fide confundunt.

§. VIII.

Fides vera, quae a fide *historica* et *mortua* plurimum differt, nec non a fide *miraculosa* distinguenda est, vti varios admittit *gradus*, et modo infirma et parua, modo valida, heroica, et magna est; ita et de re ipsa, quae creditur, *certissima* est, et ipsamet ex criteriis certissimis evidentissime cognosci potest. Sic etiam *amitti* potest, et recuperari, et aliquando ita amittitur, vt nunquam recuperetur. (*1. Tim. I. 18. 19. 20. Ezech. XVIII. 24. 26. XXXIII. 12. 13.*)

§. IX.

Actio autem diuina, qua fides producitur, appellatur *regeneratio*, vel *conuersio*, aut *poenitentia*. Nam si rem ipsam spectes, *regeneratio*, et *conuersio*, siue *poenitentia*, inter sese conueniunt, et vnus idemque actus diuersis tantum vocabulis significatur. Haec autem distincta esse, ex eo patet, quia (1) *regeneratio* etiam de infantibus; *conuersio* et *poenitentia* tantum de adultis praedicari potest: et (2) quia *regeneratio* de hominibus tantum in patiendi significatu; *poenitentia*

ten-

tentia tantum actiue ; (*Marc. I. 4. 15.*)
conuersio vero, et actiue, et passiuæ, vel, quod
 idem est, et transitiuæ, et intransitiuæ, (*Ier.*
XXXI. 18. 19. Ezech. XVIII. 30. 32.) in
 sacris literis adhibetur, ita tamen, vt quoad
 rem vna tantum sit conuersio. Sic diuer-
 sum simile, a quo denominatio desumpta est,
 aliquid etiam dissimile infert ; actio tamen,
 siue operatio gratiæ diuinæ, vna et eadem
 est.

§. X.

Gratia itaque *regenerans*, seu *conuertens*,
 est *operatio spiritus sancti*, quæ per *verbum*
 et *sacramenta fidem saluificam* in nobis *ac-*
cendit ; siue, quæ hominem, in peccatis mor-
 tuum, spirituali modo viuificat, et e statu iræ
 in statum gratiæ transfert, mentemque ipsi-
 us ita immutat, vt omnia peccata serio dete-
 stetur, et Christo apprehenso viuere incipiat.

§. XI.

Qualis status hominis sit ante regenera-
 tionem aut conuersionem, supra iam tradi-
 tum est. Dum autem fides in homine ac-
 cenditur, et per fidem tota anima innoua-
 tur, ac spirituali ratione immutatur, non so-
 lum dona naturæ sanctificantur, sed etiam
 vitia naturæ corriguntur, et emendantur,
 atque peccatum inhaerens infirmatur, ne
 homini regenito amplius dominetur. (*Rom.*
VI. 12. 13.)

§. XII.

§. XII.

Hinc *partes* conuersionis, siue poenitentiae, si proprie sic dictas spectare velis, tantum duae sunt: (1) *contritio*, quae et agnitionem, et confessionem, et detestationem peccatorum, cum sensu irae diuinae, et anxietate conscientiae ex illo orta, coniunctam, complectitur: et (2) *fides*, in superioribus descripta, quae per, et propter Christum, gratiam ac remissionem peccatorum expetit, et consequitur. *Noua* autem *obedientia*, siue serium propositum non amplius peccandi, sed Deo constanter seruiendi, necessarium est consequens poenitentiae, et ex fide fluit.

§. XIII.

Ad sui regenerationem, seu conuersionem, homo nihil plane conferre potest ex viribus naturae, quippe qui in peccatis mortuus est, vtut in eius facultate positum sit, vt mediis gratiae, quibus conuersio promouetur, recte vtatur.

§. XIV.

Solius ergo gratiae diuinae opus atque beneficium est regeneratio, siue conuersio, siquidem solus *Deus* trinunus est, qui corda immutare potest. (*Ezech. XXXVI.26.27. Eph. II.1.5.7.8. Conf. §. II.*) Idque per verbum, tum *legis*, ex qua peccatorum agnitio, et metus poenae oritur, tum maxime *euangelii*,

lii, quo mens humana ad filialem pudorem, seu salutarem contritionem, et fidem excitatur, efficit, siue illud a ministro ecclesiae publico, siue a pio quodam christiano proponatur. (*Conf. §. III.*) Quandoque etiam calamitatibus hominem disponit, vt verbum eo facilius admittat.

§. XV.

Caelestis autem gratia non vno momento, vel actu, conuersionem perficit, sed per certos *gradus* procedit, ita quidem, vt, si prior gradus admittatur, statim alter insequatur, et contra priore gradu neglecto, vel reiecto, alter non concedatur. *Primus* gratiae conuertentis gradus est, quando Deus hominem, de sui conuersione ne cogitantem quidem, compungit, vt cognoscat, se sibi hactenus male consuluisse, et de salute consequenda sollicitus sit. (*act. II. 37.*) *Alter* gradus consistit in informatione, et conuictione cordis, de remissione peccatorum per fidem in Christum impetranda, et omni concupiscentia praua abneganda. (*act. II. 38. Tit. II. 12.*) *Tertius* gradus est, quando fides ipsa accenditur, vita spiritualis sensim producitur, et homo iam conuersus e statu irae in statum gratiae transfertur, atque a iugo peccati liberatur. Et tunc statim sequitur *quartus* gradus, quando Deus homini regenito vires largitur, vt in conuersionis

nis

nis progressu cooperari, ac in bono proficere possit. Alia itaque gratia dicitur *praeueniens, excitans, praeparansque*, alia *illuminans*, alia *operans*, alia denique *cooperans*, quae etiam *inhabitans, sanctificans*, et *purificans* appellari potest, in sequentibus paulo penitius consideranda.

§. XVI.

Vltimo loco nobis notandum est, gratiae huic regeneranti et conuertenti, quae in se semper efficax est, hominem varia ratione resistere posse; (*Matth. XXIII. 37. Luc. VII. 30. act. VII. 51. XIII. 46.*) non resistentem vero regenerari, regegitumque statim iustificari coram Deo, et vitam inchoare spiritualem: eundem porro, fide amissa, gratia regenerationis excidere; in illam tamen restitui posse, si vera rursus agatur poenitentia, quae nunquam sera est, modo sit serua, licet grauissimis de causis nunquam sit differenda.

§. XVII.

Fidem ergo eiusque confirmationem et incrementum enixis a Deo expetamus precibus; omnemque malitiosam resistentiam excutiamus, et verae poenitentiae impedimenta remoueamus. In primis ad characteres verae fidei quotidie attendamus, et candidè inquiramus, ac sollicitè scrutemur, vtrum in fide et statu regenerationis simus, nec ne; et, si posterius, poenitentiam non dif-

differamus; sin prius, in legitimo mediorum gratiae usu, ac serio pietatis studio progrediamur. Quo in negotio caute incedamus necesse est, ne dona et opera gratiae conuertentis esse credamus, quae tamen mera sunt opera naturae, ad omnem fallaciam, et qua intellectum, et qua voluntatem, compositae.

TABVLA SYNOPTICA.

I. De FIDE agitur §. I-VIII. eiusque

1. definitio ponitur. §. I.
2. causa efficiens. §. II.
3. causa instrumentalis et ministerialis. §. III.
4. obiectum. §. IV.
5. subiectum quod. §. V.
6. subiectum quo et actus. §. VI.
7. effectus et consequens. §. VII.
8. diuisiones et proprietates. §. VIII.

II. De GRATIA REGENERANTE seu CONVERTENTE agitur §. IX-XVII. ubi

1. differentia vocabulorum, regenerationis, conuersionis, et poenitentiae, indicatur. §. IX.
2. definitio gratiae regenerantis, seu conuertentis ponitur. §. X.
3. terminus regenerationis a quo, et ad quem. §. XI.
4. partes conuersionis. §. XII.
5. hominis in sui conuersione aduocata. §. XIII.
6. causae conuersionis, efficiens, instrumentalis, ministerialis, et occasionalis. §. XIV.
7. actus gratiae conuertentis. §. XV. et
8. affectiones cum effectu exprimuntur, et spiccamur, quid de poenitentia fera statuendum sit, monetur. §. XVI.
9. monita practica. §. XVII.

LIBRI

LIBRI QVARTI
CAPVT QVARTVM
DE
IVSTIFICATIONE HOMINIS
PECCATORIS CORAM DEO.

§. I.

*I*ustificatio, quae accensionem fidei statim sequitur, sensu, non physico, sed forensi et biblico accipienda, est *actus diuinae voluntatis, quo Deus homini peccatori, sed regenito et conuerso, adeoque vera fide meritum Christi amplectenti, ex mera gratia, propter solam fidem in Christum, omnia peccata non amplius imputat, sed omnem culpam et poenam remittit, atque hoc pacto hominem peccatorem, propter iustitiam Christi imputatam, in iudicio diuino iustum pronunciat, eundemque filium gratiae ac haeredem vitae aeternae constituit.*

§. II.

Ante iustificationem *homo*, aequae ac ante conuersionem, est irae ac maledictioni diuinae obnoxius. Simulac vero Christum mediatorem vera fide apprehendit, *per iustificationem innocens declaratur* coram Deo, non ob propriam et inhaerentem, sed ob alienam, id est, Christi, iustitiam, qui cum patre et spiritu sancto est iustificans, et simul sponsor

no-

noſter , ac iuſticia noſtra. (*Matth. IX. 2. 6. Rom. VIII. 33. 34. 1. Cor. VI. 11.*) Sicuti enim omnia peccata noſtra Chriſto vere imputata ſunt propter iuſtitiam Dei ; ſic perfectiſſima Chriſti obedientia , cum actiua , tum paſſiua, omniſque eius iuſtitia, non perſonae, ſed officii, homini peccatori, Chriſtum vera fiducia apprehendenti , vere imputatur a Deo, qui ſola benignitate et miſericordia ſua inducitur , vt hominem iniuſtum propter alienam iuſtitiam iuſtum declaret. (*2. Cor. V. 21. Rom. III. 24. 25.*) Meriti ergo Chriſti imputatio eſt fundamentum iuſtificationis , in ipſa remiſſione, ſeu non imputatione peccatorum, conſiſtentis.

§. III.

Neque quicquam ab homine peccatore proficiſci poteſt , quo vel immunitatem a poena , vel ius ad vitam aeternam conſequatur , cum coram tribunali diuino nihil valeat , quod non omnibus numeris perfectum ſit , legique diuinae omni ex parte ex aſſe reſpondeat , id quod a nullo mortalium praeſtari poteſt. Bona itaque opera ad iuſtificationem nullo modo concurrunt , ſed ſola fides ex parte hominis a Deo in iuſtificationis actu reſpicitur, non tanquam virtus, aut bonum aliquod opus , aut quatenus per charitatem et bona opera efficax eſt, qualis

I

vera

vera fides utique est, et esse debet; sed tantum, prout meritum Christi apprehendit, eique innititur.

§. IV.

Et hac quidem ratione, nullaque alia, omnes homines, qui vnquam sub veteri, aut sub nouo testamento saluati sunt, aut saluantur, verae salutis in hac et altera vita participes facti sunt, atque fiunt. (*act. IV. 12. XV. 11.*)

§. V.

Soli enim iustificati pacem habent cum Deo, atque a Deo, iustissimo ac benignissimo iudice, in gratiam recepti, suauissima conscientiae tranquillitate fruuntur, de iustificatione sua et gratia Dei nulli prorsus dubitantes: (*Rom. V. 1. VIII. 1. 33. 34.*) et quemadmodum a Deo filiorum loco habentur, ac spiritu adoptionis donantur; (*1. Iob. III. 1. 2. Rom. VIII. 14. 15. 16.*) ita per Christum summa cum *παρρησία* ad Deum accedunt, tanquam patrem propitiosissimum, per preces cum ipso loquuntur, omnes animi curas in ipsum deuoluunt, omnisque generis bona ac dona ab ipso consequuntur: (*Ephes. II. 18. III. 12. psalm. LV. 23.*) denique haeredes Dei, et cohaeredes Christi constituti, certissimam spem habent aeternae felicitatis, deque gloria Dei, in altera vita certissime

me impetranda, gloriari possunt. (*Rom. VIII. 17. 24. V. 2.*)

§. VI.

Haec salutaris doctrina, vti summo cum studio pura et intemerata est conseruanda, quo omne meritum bonorum operum accurate remoueat, et soli gratiae diuinae, soli merito Christi, soli fidei, salus nostra accepta referatur; ita etiam in vitae christianae praxi quam maxime nos incitare debet, vt affiduo pietatis haud infucatae exercitio, praesertim fraterna reconciliacione, gratum pro tanto nobis exhibito beneficio animum demonstramus, et caueamus sedulo, ne veritas haec euangelica, fons omnis consolacionis christianae, in argumentum securitatis carnalis conuertatur.

TABVLA SYNOPTICA.

In articulo de IVSTIFICATIONE HOMINIS PECCATORIS CORAM DEO, siue gratia iustificante notemus

1. *veram iustificationis significationem, ac definitionem. §. I.*
2. *iustificationis subiectum, causam efficientem, meritariam, impulsiuam, et formalem. §. II.*
3. *quare, et quomodo sola fides iustificet. §. III.*
4. *unicam eandemque iustificationis esse rationem per omnes temporum periodos. §. IV.*
5. *bona spiritualia, quae iustificationem sequuntur. §. V.*
6. *monita practica. §. VI.*

LIBRI QVARTI
CAPVT QVINTVM

DE

GRATIA SANCTIFICANTE STA-
TVQVE ET OFFICIO HOMINIS
CHRISTIANI.

§. I.

REgenerationem seu conuersionem, uti apud Deum statim sequitur iustificatio, ita in ipso homine conuerso statim excipit sanctificatio, seu renouatio. *Gratia* itaque *sanctificans* est *operatio spiritus sancti*, qua homini, iam regenito et iustificato, atque adeo in statu gratiae constituto, vires largitur spirituales, ut iste imperfectiones, sibi adhuc inhaerentes, magis magisque exuere, atque in verae sanctitatis studio proficere, et perseuerare possit.

§. II.

Equidem sanctificatio, seu renouatio, in sacris literis, modo ut *beneficium Dei* in hominem describitur, (1. *Theff. V. 23.*) modo ut *officium hominis* erga Deum. (1. *Ioh. III. 3.*) Quia vero ex gratia proficiscitur, quicquid homo ad opus sanctificationis conferre potest, non solum initium, sed et progressus et incrementum sanctioris vitae, gratiae tribui debet. Et sane eadem est gratia, qua homo
san-

sanctificatur, et cuius virtute homo semet ipsum sanctificat.

§. III.

In sacris etiam literis quicquid impunitatis pravaeque indolis homini, etiam regenito, inest, *naturae, carnis, veteris hominis, corporis peccati*, ac *membrorum terrestrium*, nomine venit: quicquid autem boni spiritualis homini per sanctificationem conferatur, *gratiae, spiritus, et novi hominis* nomine designatur. (*Iob. III. 6. Gal. V. 16. 17. 24. 25. Eph. II. 3. IV. 7. 22. sqq. Col. II. 11. III. 5.*)

§. IV.

In homine itaque regenito tria nobis consideranda veniunt: (1) *dona mere spiritualia*, quae ita conferuntur, ut crescere et augeri queant: (2) *dona naturalia*, intellectus et voluntatis, quae sensim sunt sanctificanda, ut magis magisque excitentur, ab imperfectionibus pravisque affectibus purgentur, et non nisi in Dei gloriam, et ad voluntatem ipsius, adhibeantur: (3) *corruptae naturae reliquiae*, et peccata habitualia, quae, cum ita eradicari nequeant, ut non amplius sentiantur, nec in peccata actualia erumpere gestiant, nec quandoque in peccata infirmitatis erumpant, omni studio sunt supprimenda.

§. V.

Ex quo simul constat, sanctificationem ad totum pertinere hominem. Nam 1) quicquid ignorantiae, et erroris, quicquid stultitiae in *intellectu* superest, id in sanctificatione non ita quidem tollitur, vt nullae ipsius reliquiae remaneant; eatenus tamen corrigitur, vt cognitio et sapientia spiritualis noua subinde capiat incrementa: 2) quicquid philautiae pravae, et vitiorum ex illa profluentium, in *voluntate* superest, id in sanctificatione pari ratione non ita tollitur, vt pravae concupiscentiae non subinde suboriantur; ita tamen supprimitur, et imminuitur, vt amor Dei, et abnegatio sui ipsius, cum reliquis virtutibus dominetur, et continuo exercitio perfectior reddatur: 3) quicquid *αιαξιας* in *imaginatione*, et *appetitu sensitiuo*prehenditur, id in sanctificatione magis magisque imminuitur, vt omnes interni sensus, et affectus, voluntati diuinae exactiori ratione subinde respondeant: 4) quicquid denique per motus *corporis* excitari potest mali, id in sanctificatione ita compescitur, vt omnia membra corporis maiori semper cum circumspectione in sanctum et legitimum usum adhibeantur.

§. VI.

Gratia autem sanctificans, siue *cooperans*, per quam Deus pater, (*Ioh. XV. 2.*) filius, (*1. Cor.*

(*1. Cor. I. 30. Hebr. IX. 14.*) et spiritus sanctus, (*Rom. VIII. 9. 14.*) sanctificationem seu renouationem in homine operatur, dispeſci potest in *adiuuantem*, quae concupiscentias carnis, quibuscum homini regenito in hac vita colluctandum est, subigere iuuat, et cor magis magisque purificat; ac *perficientem*, quae mentem in fide conseruat, (*1. Petr. I. 5.*) confirmatque, et cum de praesenti, tum de futura salute certiolem facit, (*1. Theſſ. III. 13.*) amplioribus subinde viribus gratiae instruit, corroborat, in calamitatibus solatur ac recreat, et opus sanctificationis absoluit. (*1. Petr. V. 10. Phil. I. 6.*)

§. VII.

Per hanc gratiam Deus etiam habitat in cordibus fidelium, tanquam in templo suo, (*Iob. XIV. 25. 1. Cor. III. 16. 2. Cor. VI. 16. sqq.*) et, quae ex illa fluit *vnio, mystica* appellatur. Haec consistit in *arctissima gratiosaque coniunctione Dei trinumius, et speciatim Christi Θεου-Σωτήρος*, (*Eph. III. 17.*) cum credentibus, qua Deus in illis est, ipsique in Deo sunt *τῶν ἐλεεινών μένοι εἰς ἓν.* (*Iob. XVII. 21. 23.*)

§. VIII.

Homo autem, viribus gratiae instructus; in opere sanctificationis, omnia impedimenta sanctioris vitae remouere, et mediis gratiae recte vti; rationis et cupiditatum in-

sultibus fortiter resistere, et in lucta carnis et spiritus, quae a rationis et appetitus sensitiui pugna probe est discernenda, armis spiritualibus (*Eph. VI. II. sqq.*) rite pugnare; peccata vero, quae per imbecillitatem admittuntur, serio dolore retractare; actu denique fidei subinde iterato, nouas vires gratiae accipere debet, ita, vt continuo poenitentiae quotidianae, ac bonorum operum exercitio, malarum propensionum vis imminuatur, bonarum autem augeatur, et certissima victoria deportetur.

§. IX.

Quae per gratiam sanctificantem in homine hoc pacto magis magisque producitur *sanctitas*, unica tantum *virtus* est, siquidem vnicum est studium, se suasque actiones ad Dei voluntatem componendi. Diuersas tamen pro obiectorum varietate sortitur denominationes, diuersaeque hoc respectu admitteri possunt virtutes. (*2. Petr. I. 5. 6.*)

§. X.

A virtutibus christianis distinguenda sunt ipsa *officia*, seu, vt in scriptura sacra dicuntur, (*conf. Tit. II. 14.*) *bona opera*, quae sunt *actiones hominum regenitorum cum lege diuina accurate conuenientes*, et ita quidem, vt, non ex seruili timore, vel instinctu na-
tu-

turae, sed ex vera fide, quicquid lege diuina prohibitum est, omittatur, et contra omnes animi motus, cogitata, dicta, et facta ad legem diuinam, veluti normam omnium nostrarum actionum, exactissime componantur, nec externis solum, verum etiam internis actibus vera pietas exerceatur, atque gloria sanctissimi numinis vnice respiciatur, ac promoueatur. Ex quo euentissimum est, irrogenitorum ac gentilium opera, etiam si quandoque bona videantur, reuera tamen non esse bona.

§. XI.

Haec christiani hominis officia, siue bona opera, primum exhibenda sunt *Deo*, dein *semet ipsis*, tandemque rebus creatis aliis extra se, et speciatim *proximo*. Quapropter etiam ad tres reuocari possunt *classēs*; quemadmodum tres quoque *virtutes* dicuntur, ac constituuntur cardinales, *pietas*, *temperantia*, et *iustitia*. (*Tit. II. 12.*)

§. XII.

Hominis ergo christiani est, vt *Deum* interno *cultu* prosequatur, et externo: *interno*, vt creatorem plene recteque agnoscere studeat, super omnia diligat, timeatque, et ipsi soli confidat, ac obsequatur; quaeuis bona ab ipso expetat, et pro acceptis beneficiis

ciis aeternas agat, habeatque gratias: *externo* autem, vt tum *verbis* nomen Dei celebret, fidem in ipsum confiteatur, et non nisi sancte pieque per nomen ipsius iuret; tum *factis* obedientiam suam quauis occasione, praesertim in conuentibus sacris, demonstret, et sabbatum sanctificet.

§. XIII.

Porro hominis christiani est, *seipsum* ita diligere, vt *animam* et *corpus*, legitimo mediorum, ad hunc finem a Deo ordinatorum, vsu *conseruare* studeat; vt *animum artium* et *scientiarum* cognitione imbuat, et *corporis membris*, et *sensibus* externis recte vtatur; vt *bonis fortunae*, opibus ac honoribus, a Deo concessis, contentus sit, eademque ex voluntate Dei, in sui, ac proximi emolumentum, rite impendat.

§. XIV.

Denique hominis christiani est, omnes *res creatas* extra sese suo habere in pretio, iisdemque recte vti; praesertim *proximum*, siue omnes homines, amicos et inimicos, fideles et infideles, sincero amore amplecti, iisque ea omnia praestare officia, quae sibi ab illis praestari velit; specialiora quoque pro status sui externi, ecclesiastici,
ma-

politici, et oeconomici, et huius quidem, matrimonialis, paterni, ac herilis ratione, singularique vocatione externa, obseruare praecepta, vt omnes muneris sui specialis partes impleantur.

§. XV.

Atque hoc sanctimoniae et bonorum operum studium, vti homini saluando est simpliciter *necessarium*, (2. Petr. I. 10. 1. Petr. II. 1. 2. 3. et 21. 24.) summamque affert *utilitatem*; (1. Tim. IV. 8.) ita diuerso respectu, et *difficile*, (Hebr. XII. 1. Luc. XIII. 24.) et *facile*, (1. Iob. V. 3.) appellari potest, tantum abest, vt ἐν ἀδυνατοῖς ponendum sit, si homo, non secundum vires naturae, sed gratiae, consideretur. (Phil. IV. 13.) Manet tamen in hac vita, semper adhuc *imperfectum*, et, quantumuis homo christianus ad summam, quam lex diuina exigit, perfectionem, omni annitatur studio, caelesti quoque gratia in sanctitate indies perfectior euadat; ad eum tamen perfectionis gradum, in quo nullus amplius defectus deprehendatur, peruenire non potest. (Phil. III. 12. Iac. III. 2.)

§. XVI.

Nec est, quod quispiam regenitorum de imbe-

imbecillitate sua, qua facile labi, et statu fidei excidere potest, sollicitus, subdubitare incipiat, vtrum in studio sanctitatis, statuque gratiae perseverare possit. *Perseuerantia* enim sanctorum in fide vitaeque sanctitate ad mortem vsque, cuius necessitatem nemo temere in dubium vocabit, non pendet ab immutabili quodam decreto diuino, sed a gratia Dei conseruante, ordine diuinitus constituto sese exerente; (*1. Petr. I. 5.*) a virtute meriti Christi, eiusque intercessione; (*Iob. X. 29. XVII. 15. 20.*) a spiritus sancti vnctione; (*1. Iob. II. 27.*) atque adeo a Deo, qui opus suum in iis omnibus, qui mediis gratiae recte vtuntur, nec gratiam ipsius malitiose excutiant, vti incipit, ita quoque perficit, perficietque. (*Phil. I. 6.*)

§. XVII.

Nostrum est, vt quotidie dispiciamus, vtrum in statu sanctificationis constituti simus, ac progrediamur, nec ne; vtrumue incrementum aliquod virium spiritualium in nobis deprehendamus, et ab iis vitiis, ad quae propensiores sumus, serio abhorreamus, ac virtutes oppositas faciliori negotio exsequamur: vtque bona et media gratiae caute adhibeamus, iisque in sanctimonia crescamus, ac perseueremus.

TABVLA SYNOPTICA.

In hoc capite de SANCTIFICATIONE seu RENOVATIONE agitur

I. de GRATIA SANCTIFICANTE generatim ;
vbi

1. definitio. §. I.
2. diuersa sanctificationis significatio. §. II.
3. quid natura, et gratia. §. III.
4. subiectum quod sanctificationis. §. IV.
5. subiectum quo. §. V.
6. diuisio gratiae sanctificantis. §. VI.

II. de STATV et OFFICIO hominis regeniti spe-
ciatim, vbi

(1) vnio mystica exponitur. §. VII.

(2) hominis regeniti officia

1) generalia recensentur. §. VIII.

2) specialius explicantur, et quidem

1. sanctitas et virtus christiana describitur.
§. IX.

2. bona opera definiuntur. §. X.

3. virtutes et bona opera in tres classes dis-
spescuntur. §. XI.

4. officia hominis christiani recensentur,
quae

1. Deo. §. XII.

2. sibimet ipsi. §. XIII.

3. rebus creatis, praesertim proximo prae-
stare debet. §. XIV.

5. sanctimoniae et bonorum operum affectio-
nes indicantur. §. XV.

6. quid de perseuerantia sanctorum obser-
uandum sit, subiungitur. §. XVI.

(3) monita practica. §. XVII.

LIBRI QVARTI
CAPVT SEXTVM
DE
MEDIIS GRATIAE
VERBO LEGIS ET EVANGELII
AC SACRAMENTIS N. T.
BAPTISMO ET SACRA COENA.

§. I.

Media, quibus Deus ordinarie vtitur in homine conuertendo et sanctificando, quibusue nos vti vult, vt salutem consequamur, in sacris literis non praescribuntur ac denominantur alia, quam quidem *verbum, et sacramenta.*

§. II.

Verbum Dei, quod supra iam consideratum est, tanquam primum cognoscendi principium, hoc loco vero tanquam medium salutis consequendae considerari debet, diuiditur in *legem et euangelium*, quae vocabula, sibi inuicem opposita, speciali sensu accipiuntur. *Lex* enim eo respectu est verbum Dei, indicans, quid faciendum, vel omittendum sit; et diuiditur in *moralem, ceremonialem, et forensem.* *Euangelium* vero est verbum Dei, iustitiam, vitamque spiritualem, ac aeternam

nam

nam promittens omnibus in Christum credentibus.

§. III.

Lex et euangelium itaque *conueniunt* in eo, quod vtrumque verbum (1) sit diuinæ auctoritatis et originis; (2) ad omnes et singulos homines pertineat; (3) in eorundem salutem datum; et (4) in veteri testamento iam promulgatum, atque ad finem sæculi duraturum sit: *differunt* autem in eo, (1) quod lex etiam e lumine naturæ; euangelium ex sola reuelatione innotescat: (*Rom. II. 15. XVI. 25.*) (2) quod lex agenda vel omittenda præcipiat, vi iustitiæ et sanctitatis diuinæ; euangelium vero tantum beneficia et gratiam Dei offerat: (*act. XX. 24.*) (3) quod lex suas quidem habeat promissiones, sed sub conditione perfectæ obedientiæ; (*Gal. III. 12.*) euangelium vero aut nullas omnino habeat condiciones, aut saltem tales, quæ ordinem indicant a Deo præscriptum, et ab hominibus solam acceptionem oblatæ gratiæ requirunt; et denique (4) quod lex quidem faciendum præcipiat, sed vires faciendi non largiatur, (*Gal. III. 21.*) potius transgressorem accuset, terreat, damnet; euangelium vero moestos solletur, et nouas subinde vires conferat ad vitam spiritualem. (*Rom. IV. 15. 2. Cor. III. 6. 9.*)

§. IV.

§. IV.

Ex quibus patet, (1) non promiscue omnibus, aut legem, aut euangelium esse proponendum; verbum enim legis quam maxime impenitentibus et securis, vt ad agnitionem peccatorum perducantur; euangelii autem contritis est praedicandum, vt ex gratia euangelica consolationem percipiant: (2) in praxi, cum in initio, tum in progressu vitae spiritualis, legem nunquam separandam esse ab euangelio, nec euangelium a lege, vt beneficia diuina salutariter agnoscantur, et officia debita recte praestentur. Et lex quidem apud regenitos hunc usum praestat, vt vitae sanctioris, ex praecepto DEI rite instituentiae, regulam habeant, imperfectionem et infirmitatem suam agnoscant, et humiliantur, ac comminationibus legis cupiditates carnis adhuc inhaerentes reprimant.

§. V.

Sacramentum est actio ab ipso Deo instituta, in qua sub elemento externo et visibili, in verbo institutionis definito, et certo ritu tractato, gratia euangelio propria, hominibus eius capacibus, confertur vel obsignatur. Sic accedente verbo ad elementum, fit sacramentum.

§. VI.

Sacramenta proprie sic dicta in veteri testa-

sta-

stamento tantum duo fuerunt : *circumcisio*, et *agnus paschalis*, quae Christum venturum ac moriturum exhibuerunt et repraesentarunt, Christoque nato ac mortuo sunt abrogata : itidemque in nouo testamento tantum duo sunt, *baptismus*, et *sacra coena*, quae gratiam, a Christo promeritam, exhibent confirmantque.

§. VII.

Baptismus est actio sacra a Christo instituta, qua homines, sine discrimine sexus et aetatis, aqua abluuntur, pronunciato nomine patris, filii, et spiritus sancti, ut gratia, euangelio propria, eius capacibus, vel conferatur, vel obsignetur.

§. VIII.

Apud Iudaeos quidem baptismus aliquis profelytorum, praeter alia baptismorum ceremonialium et pharisaeorum genera, in usu fuit ; sed auctoritatem diuinam, in dolo emque sacramenti tum demum accepit baptismus, cum IOHANNES baptista, iussa diuino, non profelytos, sed ipsos Iudaeos, peccata sua confitentes, in poenitentiam, et appropinquantis regni caelorum susceptionem, baptizare inciperet : (*Marc. I. 4. Luc. III. 2. 3. Ioh. I. 33.*) cumque CHRISTVS non solum ipse a IOHANNE baptizatus esset ; (*Matth. III. 13-17.*) verum etiam baptismum IOHANNIS confirmaret, et cum in statu

exinanitionis, apostolos suos eodem, quo IOHANNES baptizauerat, modo, eundemque in finem, baptizare iuberet; (*Iob. III. 21. IV. 1. 2.*) tum maxime post resurrectionem suam, inque statu exaltationis, praeceptum daret de baptizandis gentibus, ac formulam baptismi praescriberet. (*Matth. XXVIII. 19.*) Id, quod non tantum ut verus homo, sed etiam ut verus Deus peregit, benignitatem ac misericordiam suam, cum patre et spiritu sancto, declaraturus. (*Eph. V. 26. Tit. III. 5.*) Quare liberum nobis non est, utrum baptismum usurpare, an intermittere velimus.

§. IX.

Baptismum ex mandato Christi ordinarie conferre possunt debentque ministri ecclesiae, rite constituti. (*1. Cor. IV. 1.*) In casu vero necessitatis hoc sacramentum, quam maxime necessarium, etiam a quouis christiano, vel ab obstetrice, conferri potest. Cumque vis et efficacia baptismi, non a conditione et dignitate baptizantis, sed ab institutione diuina pendeat, validus merito et efficax etiam censendus est baptismus, si ab homine irrogenito, vel haeretico conferatur, aut in ecclesiis, quae extra nostram euangelicam christianae appellantur, administretur, modo in iis, quae ad ipsam essentiam baptismi spectant, nobiscum

cum consentiant, nec quicquam in illis im-
mutent.

§. X.

Materia terrena, qua in hoc sacramento
utendum est, alia admitti non debet, quam
aqua vera et naturalis. (*Iob. III. 5. 23. Matth.*
III. 11. act. X. 47.) Nec opus est, ut in hoc
sacramento distinctam aliquam materiam
caelestem quaeramus. Ad aquam vero non
solum actus *immersiois*, aut *aspersiois*, siue
simplicis, siue, quae omnino praeferenda est,
triplicis, accedere debet; verum etiam *pro-*
nunciatio nominis diuini, patris, filii, et spi-
ritus sancti. Et hanc formulam baptisma-
lem quin apostoli adhibuerint, ac primitiua
ecclesia ab illis receperit, non est, quod du-
bitemus. *Ritus* in ecclesia christiana bap-
tismo additi, in quorum numerum *exorcismus*
est referendus, libere recteque retineri pos-
sunt, modo recte intelligantur, et sine su-
perstitione adhibeantur.

§. XI.

Baptizari autem non debet, nisi *verus ho-*
mo, perfecte natus, quemadmodum etiam
omnis homo, absque discrimine status, sexus,
aut aetatis, si vsu rationis polleat, et, praemis-
sa institutione in doctrina christiana, secun-
dum ordinem, a Deo constitutum, baptizari
velit, post seriam explorationem verae fidei;

vitaeque, christiano nomine dignae, vtiue est baptizandus, cum Deus neminem excludat. Sic quoque *infantes* non minus, quam adultos baptizandos esse, etiam eos, qui ab infidelibus parentibus nati sunt, modo non vi ad baptismum abripiantur, sed in nostra sint protestate, eidentissimis comprobari potest argumentis. (*Conf. Marc. X. 13. sqq.*)

§. XII.

Finis et effectus baptismi est fidei collatio, aut confirmatio; siue *foedus gratiae* cum Deo initum, et omnia bona huius foederis, in quod homo per baptismum recipitur. Et quidem ex parte *Dei* foedus illud semper manet integrum. Hinc baptismus, cuius *necessitas* ex dictis evidens est, *iterari* non debet. *Homo* autem, a quo foedus illud, proh dolor! plus simplici vice abrumpitur, per poenitentiam in foedus gratiae iterum recipi, receptusque pia et grata baptismi sui recordatione, quaeuis bona gratiae, per omnem vitam suam, in se deriuare potest.

§. XIII.

Alterum noui testamenti sacramentum, quod variis designari solet nominibus, vulgoque appellatur *sacra coena*, est *actio sacra a Christo instituta, in qua, peractis ad benedicendum panem et vinum precibus, ac recitato*

tato verbo institutionis, cum pane benedicto simul corpus Christi, pro nobis traditum, adultis in ipsum credentibus, exhibetur et vere manducatur, cumque vino benedicto sanguis Christi exhibitus, ab illis vere bibitur, in commemorationem mortis Christi, corroborationem fidei, et gratiae euangelio propriae oblationem.

§. XIV.

Hoc sacramentum, vti *Christus* ipse primum administravit in ea nocte, qua traditus est, ita in locum agni paschalis eo ipso instituit, summo erga homines amore commotus, simulque praecepit, vt eadem, qua ipse administrauerat, ratione semper administraretur. (*I. Cor. XI. 23. 26.*) Diuina autem potentia atque auctoritas, quam institutio sacramenti requirit, cum tribus diuinitatis personis sit communis, *patrem*, et *spiritum sanctum* hoc loco non excludendum esse, res ipsa loquitur.

§. XV.

Ad exemplum itaque optimi seruatoris nostri, *ministri ecclesiae*, publice riteque constituti, sacram coenam administrare, et elementa, siue symbola externa, primum per preces et verba institutionis *consecrare*, deinde iis, qui hoc sacramento vti cupiunt, *dis-*

sribuere debent. Quemadmodum enim illis solis publicum docendi munus est de-
mandatum ; ita etiam illis solis , in ecclesia bene constituta, sacram coenam administrandi potestas competit, vt omnia iusto ordine et decenter fiant. De casu summae et haud euitabilis necessitatis, si quis daretur, alia omnino est ferenda sententia. *Fractionem* panis absolute necessariam esse, probari non potest. Vt autem actio sacramentalis sit integra, symbolorum rite consecratorum *assumptio*, quacunque ea fiat ratione, et *usus* accedere debet.

§. XVI.

Elementa, siue symbola externa, quae *materiae terrenae* nomine venire solent, sunt tantum verus *panis*, verumque *vinum*, cuiuscunque sint conditionis, aut qualitatis. Qua de caussa etiam *placentulae*, quibus utimur, minores iure meritoque retineri possunt. Cum pane autem consecrato, sacramentali quadam ratione vnitur *corpus*, et cum vino benedicto, *sanguis* Domini nostri IESV Christi, pro nobis crucifixi. Vtrumque *materia caelestis* appellatur, et vtriusque veram, realem ac indistantem *praesentiam* in vsu sacrae coenae, ex verbis institutionis pie credimus, ita, vt cum pane benedicto corpus Christi, et sanguis ipsius cum vino benedicto, re vera exhibeatur, et vere
ac-

accipiatur ab omnibus, siue digni sint, siue indigni, qui ad sacram coenam accedunt. Et quamuis *modus*, quo corpus Christi editur, et sanguis eius bibitur, non sit naturalis, sed *supernaturalis*; ipsam tamen manducationem et bibitionem, ad vtriusque veritatem indicandam, recte dicimus *oralem*. Ore enim corporis dum panis benedictus manducatur, et vinum benedictum bibitur, vno eodemque actu etiam fit vera manducatio corporis Christi, cum pane consecrato sacramentali vnione coniuncti, et vera sanguinis Christi, cum vino benedicto vniti, bibitio. (1. Cor. XI. 27. X. 16.) Mutationem vero panis et vini in corpus ac sanguinem Christi, quam *transubstantiationem* vocant, itemque panis consecrati extra vsum afferuationem, circumgestationem et adorationem, simpliciter reiicimus, et sacram coenam *sacrificium* proprie sic dictum, vel *propitiatorium* esse negamus.

§. XVII.

Neque verba aeterni, veracissimi, atque omnipotentis filii dei, Domini, creatoris et redemptoris nostri, IESV CHRISTI, vt figurate, metaphoricè, tropicè dicta, aut prolata, in aliam sententiam detorquenda sunt, vt nostrae humanae rationi verisimilia fiant. Quin potius haec Christi verba: HOC EST

K 4

COR-

CORPVS MEVM: HIC EST SANGVIS MEVS NOVI TESTAMENTI, *vt sonant, in propria sua ac perspicua sententia, simplici fide ac debita obedientia atque reuerentia accipere tenemur. Neque committendum est, vt vllae obiectiones, aut humanae contradictiones, quae ab humanae rationis acumine promanant, vt cunque humanae rationi blandiantur, nos ab expresso illo Christi testamento abducant. Solid. declar. p. 738.*

§. XVIII.

Ad hoc sacramentum *admittendi* sunt omnes homines, qui Christum, veramque ipsius doctrinam euangelicam publice confitentur, et per baptismum initiati, atque in doctrina christiana solerter instituti, semet ipsos, hoc est, statum animarum suarum, vere recteque explorandi facultate pollent, nec peccatorum sordibus sunt immerfi. Quibus omnibus etiam hoc sacramentum non sub vna; (calicem enim qui laicis subtrahunt, ab institutione Christi apertissime recedunt,) sed *sub utraque* specie est administrandum, et exhibendum. Omnes etiam, qui Christo obsequi volunt, vi institutionis diuinae *obligati* sunt, vt sacra coena, eadem, qua Christus eam instituit, ratione *saepius* et frequenter vtantur.

§. XIX.

Effectus, siue finis huius sacramenti est
pia

pia recordatio et commemoratio mortis Christi, qua recte instituta, fides in Christum non potest non confirmari, et gratia euangelio propria obsignari. Promissio enim euangelica de remissione peccatorum per Christum dum in hoc sacramento obsignatur, quod nos certiores reddit, Christum pro nobis mortuum esse, et sanguinem suum in expiationem peccatorum nostrorum effudisse; fides quoque magis magisque excitatur, et confirmatur. Ex fidei autem confirmatione spiritualis nutritio ad vitam, arctior cum Christo unio, spes resurrectionis et gloriae futurae certior, ipsa denique vita aeterna, vltro fluunt.

§. XX.

Hisce mediis gratiae neutiquam negligendis, nec intermittendis, ita utamur, ut ad scopum et finem, ad quem nobis concessa sunt, accurate semper attendamus, neque eorundem efficaciam culpa nostra impediamus, aut *in opere* externo, vel, quod vocant, *operato*, positam esse, nobis persuadeamus. In primis legem, veluti normam actionum nostrarum assidue intueamur, et promissionibus euangelicis suffulti, vocationem nostram firmemus. Cumque in primam nostram aetate per baptismum in foedus gratiae cum DEO recepti simus, diuinum hocce be-

neficium in nos collatum, grato semper agnoscamus animo, et quotidiana ac serua foederis huius recordatione ac renouatione, puram pacatamque habere, et conseruare annitatur conscientiam. Atque vt vires spirituales in nobis conseruentur et augeantur, ad cibum spiritualem, sacram eucharistiam, toties accedamus, quoties pro imbecillitate nostra, ac tentationum grauitate, confortatione indigemus. Ante vsum vero huius sacramenti debita *δοκυμασία*, et contritionis ac fidei exploratione, cum piis precibus coniungenda, cauteque, et sincere instituenda, nos praeparemus: in vsum totum pectus, oratione piaque meditatione ad Deum extollamus, omnibus rebus terrenis posthabitis; et verbis Christi in vera simplicitate fidem adhibeamus indubitam, atque in tota actione haud fucatam demonstramus submissionem ac reuerentiam: denique post vsum illius, non solum gratiam patris caelestis, nobis in Christo exhibitam, Christique pro nobis mortui amorem ac benignitatem, ore celebremus; verum etiam Christum ea, qua decet, quae a nobis praestari potest, ratione imitemur, praesertim in mansuetudine, humilitate, et patientia, neque quicquam intermittamus, quo in pugna aduersus hostes spirituales fortiores, et in omnibus virtutibus christianis perfectiores reddi queamus.

TABVLA SYNOPTICA.

MEDIIS GRATIAE indicatis §. I. agitur

I. de VERBO LEGIS et EVANGELII, ubi not. v-
triusque

1. definitio. §. II.

2. conuenientia et differentia. §. III.

3. vsus caute instituendus, semperque coniungen-
dus. §. IV.

II. de SACRAMENTIS, et quidem

1. generatim, ubi

1) definitio sacramenti ponitur. §. V. et

2) numerus sacramentorum vtriusque testa-
menti. §. VI.

2. speciatim de sacramentis N. T.

(1) de BAPTISMO, cuius not.

1. definitio. §. VII.

2. origo et institutio. §. VIII.

3. caussa ministerialis. §. IX.

4. materia, terrena et forma, ubi, quid de
materia caelesti, et de ritibus, ex. gr. exor-
cismo, statuendum sit, exponitur. §. X.

5. subiectum s. baptizandus. §. XI.

6. finis s. effectus, et affectiones. §. XII.

(2) de SACRA COENA, ubi

1. definitio. §. XIII.

2. caussa efficiens s. auctor. §. XIV.

3. caussa ministerialis, et actus formales. §. XV.

4. materia terrena et caelestis ponitur. §. XVI.

5. sensum verborum institutionis proprium
retinendum esse, assertitur. §. XVII. itemq;6. admittendis communionem sub vtraque
specie dispensandam, et hominem chri-
stianum ad frequentem illius usum obli-
gatum esse. §. XVIII.

7. effectus. §. XIX.

III. monita practica subiunguntur. §. XX.